



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Ad Sacerdotes De usu & scopo hujus Libelli Praemonitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

D E
S A C R I F I C I O
M I S S Æ
T R A C T A T U S A S C E T I C U S ,

Continens Praxim attente, devotè & reverenter
celebrandi.

A D
S A C E R D O T E S
De usu & scopo hujus Libelli
P R A E M O N I T I O .

PAUCIS te in hoc vestibulo sistam, quisquis es Christi Sacerdos, qui hanc meam lucubrationem evolvere dignaberis, ut in ea edenda propositum meum, ejusque scopum & usum noscas. Cum primùm Sacerdotio initiatus fui, illud protinus animo versare ccepi, quam ardua res esset suscepito ministerio rite fungi, & ipsum Dei Filium pro meis & aliorum peccatis incruento Sacrificio quotidie immolare. Actus igitur conscientia stimulis Sanctorum Patrum, & Recentiorum ferè omnium, qui de Missa sancte celebranda aliquid ediderunt, scripta percurrentes, plura ex illis documenta excerpti, quibus in unum congetis, paucisque de meo additis, hoc Opusculum compoui, quod amicis impellentibus multos post annos publici juris facio. Et primò quidem de ipso Sacrificio, ejusque valore & fructibus quædam generaliter præmitto. Secundò de his ago, quæ ad rite & piè celebrandum Sacerdoti necessaria sunt. Teritò de antecedentibus Missæ celebrationem, & de proxima ad eam præparatione. Quartò de ipsa celebratione. Demum de his, quæ Sacro absolute facienda sunt.

Inserui aliquot orationes & exercitia pro me, meique similibus adhuc in limine perfectionis hærentibus, quibus si quis assueverit, à distractionibus præservari, Deinde

quæ

quæ amore succendi facile poterit. Alios autem, qui in altiori gradu sunt constituti, sublimiores exercitationes Spiritus Sancti unitio docebit.

Porrò hæc exercitia non eo consilio descripta sunt, ut singulis diebus à Sacerdote rem divinam acturo peragantur: sed legendus aliquoties libellus est, donec documenta in eo tradita benè animo percipientur, & voluntas piis affectibus imbuatur: tum ea quisque seliget, quibus se magis affici senerit; & quoties celebrare voluerit, aliqua ex illis pro suo arbitrio, & devotione assumet.

Terret quosdam prolixitas, sed inexpertos, qui tandem usu & exercitatione edocti, quæ prius ardua & operosa putabant, expeditissima esse, minimique negotii experiuntur. Velocius enim mens operatur quam lingua; & quæ non nisi longo sermonè explicari possunt, unico mentis actu concipiuntur. Plura docebit usus, Deo juvante, cuius gratia ut mihi & omnibus, qui hoc meo labore uti voluerint, uberrimè aspiret, enixè deprecor; sed mihi præcipue, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobos efficiar.

I M P R I M A T U R.

*Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sac. Palat. Apost.
M. Episc. ARIMIN. Vicesgerens.*

Fr. HYACINTHUS Libellus Sac. Fac. Apost. Magist.

D E

